Vir Illustris,

Tardè sed tandem ad te mittitur Dissertatio illa, de qua in Zutphaniensibus comitijs coram tecum sed obiter egi: quamque præsens præsenti nuper Amisfortensi in oppido exhibuissem, nisi fuisse illic et abijsse Hugenium simul intellexissem. Nisi valde vitium illud me decipit quod Narcissum perdidit, non planè indigna erit, cui percurrendæ duas horas Celsiss. Princeps impendat. Cæterum ut quam ocyssimè offeratur, admodum è re erit, si modò tutò nunc potest, ac peregre non absit, ut novellarij nuntiant, Dominus tuus. Neque enim brevis mora tam noxia, quam esset intempestiva rei huius divulgatio pestilens. Paulò longius evagatus sum quam primò constitueram; nec aliter potui, tum propter diversitatem ac magnitudinem argumenti, tum quod receptas vulgò opiniones quasdam impugnare ac convellere necesse habui. Alicui è patriæ Statoribus quicquid huius est opellæ tradere in animo habebam: verum diversis ex caussis prius Magni Principis iudicio iudicium meum submittere, satius postea putavi. Quod restat per te fideliter ac ex voto meo curatum iri dubitare me non permittit innata tibi doctisque iam omnibus passim nota ac tantoperè prædicata humanitas, qua etiam nuper beare me fastigio tuo non inferius credidisti. Si insuper præsentia mea, aut plura autographa (quatuor eiusdem exempli, penes me servo) à Principe desiderantur, tam amico imperio libens ac properè parebo. Vale patriæ nostræ ac litterarum insigne sidus, ac Slichtenhorstium inter clientes tuos accense, qui te usque seriò admiratur.

^præter tria quæ mitto,

Amisforti pridie Kal. VI-tileis A.C. cIↄ IↄcXLVII

Nobil. tuæ cultor officiosus

Arn. Slichtenhorstius.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.
'S RYKS ARCHIEF
159

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4631

Te bevraghen ten huijse van Gijsbert van
Emelaer op de Langhe Graft tot Amersfoort

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4631

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4631

Aen den wel-edelen wijt-beroemden
Heere Constantin Huygens, Ridder,
Heere van Zulichem, Monickelant,
en Zelhem, Raedt ende Secretaris
van sijne Hoocht

in 's Gravenhage

Ecno
Eno

Loont van Utrecht.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4631